

CIRILLVS MORAVIAE APOSTOLVS.



Cirillus & Methodius fratres in sacris literis erudití, atq; magna pietate & industria prædicti fuerunt. Itaq; pio zelo commoti ad Vandalos & Morauios profecti sunt, ut extirpata gentilium superstitione ueram religionem plantarent. Cum ergo negotium procederet, atq; multi ab ijs instituti baptismum susciperent, in Moravia Vielagradi Ecclesiam cōstituerunt, ut populus ibidem conueniens in uera pietate erudiretur. Cum aut in ijs partibus non omnes una lingua uterent, atq; Latina ipsi esset incognita, res diuinæ lingua Slauonica etiam proposuerunt. Id cum pontifex intellexisset, Cirillum Romam uocauit, & causam ex eo quæsiuit, cur alia q; Latina lingua res sacras proponerent. huic responderūt: se se id meritò facere: scriptum enim esse: Omnes sp̄iritus laudēt Dominū Deum, & omnis lingua confiteat ei. Eo responso accepto pontifex cōquieuit. Sic factū est, ut Marchionatus Romani Imperij Moravia Cirilli opera Christianam religionem susceperit, & conseruarit. Aen. Syl. in Hist. Bohem. cap. 13.